



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

57 Idem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

& mandavero, & præcepero locustæ  
& devoret terram, & misero pestilen-  
tiam in populum meum conversus autem  
populus meus, super quos invocatum est  
nomen meum, deprecatus me fuerit, &  
exquisierit faciem meam, & egerit pœ-  
nitentiam à vijs suis pessimis, & ego ex-  
audiam de cælo, & propitijs ero peccatis  
eorum, & sanabo terram eorum. Oculi  
quoque mei erunt aperti, & aures meæ  
erectæ ad orationem ejus, qui in loco  
isto oraverit. *Paralip. lib. 2, cap. 7*, ex quo  
textu facillè colligitur, nihil agere, qui  
calamitatibus vexati, orationis, & pœ-  
nitentiæ remedio postposito, aliunde sibi  
accersant auxilium, execrationibus ma-  
gis freti, quàm precum, pœnitentiæ quæ  
virtute, quæ simul junctæ, quæcumque  
homini necessaria sunt, solæ præstare  
possunt, orationis enim vis, & efficacia  
cælum aperit, & claudit: oratio solvit  
vincula Petri, & Pauli dilatavit prædica-  
tionis fiduciam. Oratio caminum ignis  
extinguit, ora leonum conclusit, seditionem  
compescuit, oratio Paradisum  
aperuit, oratio cæli cardines referavit.  
Oratio sterilem fecundavit. Oratio Cor-  
nelij cælos penetravit. Oratio publica-  
num justificavit, Sanctus Ioannes Christo-  
stomus *de red. suo ab Asia homil. 3*, Et Iesus  
ait: habete fidem Dei. Amen dico vobis,  
quicumque dixerit huic monti tolle te,  
& mitte te in mare, & non hæsitaverit  
in corde suo, sed crediderit, quia quod-  
cumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea  
dico vobis omnia quæcumque orantes  
petitis, credite, quia accipietis, & eveniet  
vobis *Marc. cap. 11*.

76 Sanctus † Gregorius Thaumaturgus  
non procul ab Amasea saxum ingens ve-

lut collis, cum ædificando templo esset  
impedimento, solo jussu summovit. Quo  
miraculo ethnicorū idololatrum quæ ædi-  
tuus, cum propinquis omnibus relicto  
gentilismo ad Christi fidem conversus  
est, Gregorius Nissenus, *in vita ejusdem  
apud Suriium tomo 4*, Sanctus Theodo-  
rus Siccorum, in dilatatione templi San-  
cti Gregorij magna rupes obstabat,  
neque à fabris quavis arte excindi po-  
terat, at illi jussit voce aliò se conferret,  
permitteretque Ecclesiæ Dei locum dila-  
tari; paruit rupes, cui jussum id fuerat,  
migravitque, dimissa sibi illæsa arbore,  
cui id non fuerat jussum. Gregorius  
Presbyter in vita ipsius Theodosij apud  
Lipoman. *tom. 7*. & Honorius † vir Dei  
cum magna moles saxea, quam quinquaginta  
bouvum juga loco non movissent, hortulum  
magno incommodo afficeret, sola oratione  
procul transtulit, Gregor. *Dialog. lib. 1, cap. 7*. &  
Majol. *de admirand. nat. reb. colloqu. 18*. §. assentiar, &  
ego, pag. mibi 806.

78 Sarraceni † Evangelium Christi bla-  
sphemare volentes, omninò incumben-  
bant, ut Christiana Adlogio è Regione  
Tarvisina Regni Mosul detruderetur, &  
accitis igitur Christianis, proposuerunt  
oportere eos, vel propriæ fidei signum  
aliquid edere, aut loco cedere, ac solum  
vertere, montem enim illis esse transfa-  
rendum, quòd sic dicitur Christi dogma-  
ta. Absterrita tota Christiana plebs,  
miracula faciendi virtutem apud se non  
agnoscens, mœsta cœpit esse, tunc vir  
quidam Christi fervens amore, & fide,  
confortavit pusillanimes, & fusa oratione  
ad Dominum, cum tota fiducia monti  
jussit, ut aliò se transferret in nomine

Nnnn

sanctæ